



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia  
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,  
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

**Canisius, Heinrich**

**Coloniae Agrippinae, 1662**

Regula LIII. Cui licet quod est plus, licet utique quod est minus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

in princ. De sponsalib. lib. 6. ubi ex sponsalibus in-  
 vidis publica honestas oritur matrimonium sub-  
 sequens impediens & contractum dirimens. Nam  
 tamen si huiusmodi sponsalia ipso jure nulla sunt,  
 non tamen effectus erant, quoad opinionem vul-  
 gi, forte existimantis ea valida esse: ut merito &  
 in his sponsalibus, publicae honestatis tuedae &  
 conservandae causâ, receptum fuerit, ea non mi-

nus impedimento esse iustis nuptiis, quam si le-  
 gitime contracta essent. Semper in conjunctionibus,  
 inquit Modestinus, non solum quid liceat, con-  
 siderandum est, sed & quid honestum sit, l. 42. D. De ritu  
 nupt. Verum cum hodie discessum sit ab hac sen-  
 tentia & unice per Concilium Tridentinum Sess. 24  
 cap. 3. in decret. de reform. matrim. non est quod lon-  
 gè insistamus.

## REGULA LIII.

Cui licet quod est plus, licet utique quod est minus. |

**I**N eandem sententiam Ulpiani Regula est in  
 l. Non debet 11. D. hoc eod. tit. Pertinet verò ad  
 ea, quae supra retulimus ad cap. Plus semper.

Ibi latius vide & Accurs. ad d. l. Non de-  
 bet.

## REGULA LIV.

Qui prior est tempore, potior est jure.

**H**Æc Regula latè se diffundit. Pertinet enim  
 ad collationes beneficiorum Ecclesiasti-  
 corum; ut si cui beneficii collatio prior fa-  
 cta est, posteriori præferatur, cap. Et cui 7. & cap. Si  
 postquam 13. & cap. Si tibi absenti 17. De prob. lib. 6. ad  
 collegia; ut quo tempore quis in collegium re-  
 ceptus est, eo ordine confideat & sententiam dicat,  
 cap. 1. Ext. De maior. & obed. l. 1. D. de albo scrib.  
 ad hypothecas & pignora; ut & in his semper e-  
 jus causa potior sit, qui tempore antecessit, l. Prior  
 v. Qui potior in pig. adeò licet is, qui prior est, ge-  
 neralem hypothecam habeat omnium bonorum,  
 posterior verò specialem unius rei; nihilominus  
 ille & in hac re præferatur alteri, etiam si ex bo-  
 nis aliis pecuniam suam redigere possit, l. 1. v. d.  
 tit. & l. Si generaliter 6. C. eod. Nec refert, posteriori  
 creditori pignus traditum sit à debitore: adhuc  
 enim potiores partes erunt prioris creditoris, l.  
 Creditor 12. §. fin. v. d. tit. cum res cum suo onere  
 transferat ad posteriorem creditorem, cap. Ex liti-  
 ra circa fin. Ext. De pignori l. Alienatio v. De contrah.  
 empt. Horum omnium ratio est, quòd jus qua-  
 situm alteri invito auferri non possit, l. Id quod no-  
 strum & l. Non debet alteri v. hoc nostro tit. Ubi verò  
 nullum jus alteri qua situm est, nihil impedit,  
 posteriorem priori præferri in jure acquirendo;  
 veluti in re duobus separatim vendita vel dona-

ta; is enim cui possessio prior tradita est, alteri li-  
 cet in contrahendo priori, præferatur; propterea  
 quòd ex traditione posterior rei dominium jam  
 nactus sit, l. Quoties 15. C. De rei vind. Sic & creditor  
 posterior, cui pignori res obligata est, antefertur  
 omnibus personalibus creditoribus etiam priori-  
 bus, propter jus in re sibi constitutum à debitore,  
 l. Eos 2. C. Qui potior in pig. d. l. Creditor §. si primus. A-  
 liter si nulla omnino res in pignus data esset; nam  
 hac specie omnium creditorum æqualis esset  
 conditio, ita quòd is, cui prior solutio facta est,  
 rem rectè retineat, l. Privilegia 16. De privil. cred.  
 vide ibi Interpp. quia vigilantibus jura succurrunt,  
 non negligentibus, l. Si pupillus 24. circa fin. & l.  
 Qui autem 6. §. sciendum v. Qua in fraud. cred. præ-  
 terquam si unus vel plures creditores missi sint  
 in possessionem bonorum debitoris latitantis;  
 nam nihil præjudicat horum diligentia cæteris  
 creditoribus absentibus, qui si postea veniant,  
 concurrant simul cum in possessionem missis, ex  
 Justiniani constitutione, in l. fin. C. De bonis au. Tor.  
 iud. possid. Singulariter quoque receptum est in  
 pignore in instrumento publico contracto, ut hoc  
 præferatur alteri privata manu conscripto; nisi  
 privatim trium testium subscriptione munitum  
 sit, vide in l. Scripturas 11. C. Qui potior in pig.